



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1635. usque ad annum 1643

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1779

VD18 9011888X

§. 117. Sinister horum comitiorum successus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67406](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67406)

Sæc. XVII. Carolo Ludovico Palatino Comiti fecit.
 A. C. 1640. Philippus pariter Simmeranus Friderici V

Palatini Germanus Sedano rescribens die
 quinta Septembris, a præteritorum mo-
 tuum culpa se purgare intentus, in in-
 tegrum restitui petiit: pariter Northu-
 sienses suam cum Luneburgicis con-
 junctionem excusare: ita nempe,
 tum nemo nocens volebat videri, aut
 quicquam adversus Cæsarem vel Im-
 perii jura peccasse: *Grandis*, subjungit
 Boicorum Annalium Scriptor, *grandis*
excusantium confidentia, grandior clemen-
tia Cæsaris, qui cum subditis suis, usque
non supplicibus, sed armatis, & qui cum
publicis hostibus contra ipsum conspira-
bant, pacisci sustineret: Tanti erat salus
publica, & in generosissimo Imperatoris
pectore tranquillitatis cura.

§. CXVII.

Sinister horum comitorum successus.

Hac Cæsaris indulgentia ad pacis ne-
 gotiationem plana via sterni crede-
 batur, sed in ipso statim limine, ut in-
 ter turbidæ indolis homines fieri amat,
 tot subortæ sunt cavillationes, jurgia
 & altercationes, ut ex his comitiis
 ægre quicquam salutare speraretur:
 Præprimis nonnullis displicuit ab Ele-
 ctoribus Coloniam pro Gallis, & Lu-
 beccam

beccam pro Suecis fuisse assignatam, Sæc. XVII. eoquod Reges ab Electoribus invitari, A. C. 1640. non satis ex dignitate esset, hacque ratione ipsi Reges pacem petere viderentur: Ut ergo hic quoque obex tolleretur, decretum est, agendum esse de pace per externos, & quidem gratum fore, si summus Pontifex & Veneti apud Franciæ Regem, & Daniæ Rex apud Suecos pacis arbitrum agerent, demum vero eos, qui pacis consiliis obfisterent, communibus armis velut publicos hostes esse habendos. Præterea Protestantes hujus congressus successum præpedire moliebantur, falso spargentes, quod Episcopi numero superiores essent, ac per pensiones Hispanicas adlecti, necnon Pontificio anathemate territi Catholicis plus æquo faverent, necnon Catholici, postquam Saxo Cæsari accessisset, suffragiorum numero ceteris prævalerent, & Principum Collegia Austriacus Legatus moderaretur.

Postmodum super militis Cæsarei hybernis ac supplendo, alendoque exercitu agebatur; horum tamen militum distributio ab Electoribus Principibusque Cæsaris arbitrio relicta est, alendis autem copiis Austriaci & Bavari Ordines centum quinquaginta, ut vocant, Menses Romanos, alii sexaginta & mi-

Sæc. XVII. & minus, Ratisbonenses vero nonnisi
A. C. 1640. duodecim, prætexta civium pauper-
 tate, adnuebant. His deliberationi-
 bus de bello totum ferme tempus ab-
 sumebatur, etsi Cæsar jam die primo
 Novembris monuisset, ut ad primum
 pacis negotium rediretur, nihilo-
 minus proscriptorum Principum Ora-
 tores toti in eo erant, ut generalem
 amnistiam seu reconciliationem pro om-
 nibus Austriacæ Domus hostibus a Cæ-
 sare extorquerent. Verum nova tum
 exorta erat contentio Catholicos inter
 & Protestantes, cum hi reconciliatio-
 nis gratiam ab anno Christi millesimo
 sexcentesimo decimo nono, quo Fride-
 ricus Bohemiæ diadema usurpaverat,
 Catholici vero a Gustavi Adolphi irru-
 ptione seu anno hujus sæculi trigesimo
 inchoandam censuissent. Augeta demum
 fuere hæc dissidia, dum Catholici sua
 gravamina contra Protestantes, & hi
 vicissim contra illos in comitiis propo-
 suere, quin hac in re quicquam deci-
 deretur, sed hanc pacificationem in
 annum sequentem producere, necesse
 esset.

§. CXVIII.

*Turbæ in Gallis ob editionem libri,
 cui titulus: Optatus Gallus
 exortæ.*

Post-